



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 141. Bellicus Gallorum apparatus pro proxima expeditione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

maniam redire possent, ibidem in Caroli Sæcul. XVI.  
Badensis Marchionis Palatio ex sinistra A. C. 1557.  
fortunæ tœdio, morboque per vitam li-  
bidinose actam contracto Phorceni obiit,  
postquam nonnisi trigessimum sextum  
ætatis suæ annum emensus esset. Hic  
idem sua liberalitate milites sibi devin-  
ciendi dexteritate inclarescebat: cetera  
autem Princeps erat animo fervidus,  
indole vehemens, & crudelis, necnon  
vino deditus, præcipue vero præsentibus  
rerum eventibus unice intentus, ac fu-  
turatorum incurius.

## §. CXLI.

*Bellicus Gallorum apparatus pro pro-  
xima expeditione.*

Interea præcipua Gallorum cura eo ab-  
ibat, ut damna per San - Quintinia-  
nam cladem Regno illata repararent; Spond. hoc  
ann. n. 13.  
Thuan. l. 20.  
n. 3.  
La Popelin.  
l. 4.  
Belc. comm.  
l. 27. n. 62.  
& 63.

quapropter accepto stragis nuntio Hen-  
ricus II. Franciæ Rex quantocius Com-  
pendio profectus Lutetias Parisiorum  
venit, ubi civibus sua præsentia ani-  
mum reddens ab eis rara liberalitate  
gratuiti, ut vocant, doni titulo centum  
aureorum millia obtinebat, ut hoc sub-  
sidio auctus copias suas restaurare pos-  
set. Præprimis Rex ad placandam  
Numinis iram, necnon ad impetrandam  
in calamitatibus, quæ populum dire ve-  
xabant, Divinum Auxilium per univer-  
sum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1557.

sum Regnum publicas fieri supplicationes decernebat, simulque in mandatis dabat, ut quatuor Gallorum, ac totidem Germanorum millia conscriberentur, quamvis Regnum ferme totum militibus esset exhaustum. Postea Nobilibus injunxit, ut Nivernensi Duci, cui Picardiæ regimen committebat, in hac Provincia sese conjungerent. His ita dispositis Rex sibi nil ultra a suis hostibus timendum esse sperabat, eoquod Philippus ex Flandria secessisset, Henricus vero ad oppidum S. Germani in Laja delatus ibidem numerofo milite ex Gallia, Helvetia, & Germania contracto auctus esset. Itaque supremum exercitus sui imperium Guisio Duci deferens eundem a Rege secundum per univcrsum Regnum proclamari jussit, hanc in rem tradito Regio diplomate, quod in cunctis Senatorum curiis ad acta referebatur. Hac agendi ratione Rex plurimum recesserat a monitis Francisci I. Patris sui, qui morti proximus eidem suggerebat, ne nimium amplis dignitatibus Guisios extolleret, eoquod illorum auctoritate, ac vix non suprema potestate suo tempore Regnum validis factionibus turbari posset.

§. CXLII.